

*L*

**DISPUTATIONUM POLITICARUM  
NONA,  
De  
MAGISTRATU,  
QUAM PRÆSIDE  
M. MICHAELE VVENDELERO P. P.  
*proponit*  
TOBIAS HERZOGIUS Longosalissæ-Thur.  
*die 1. Octobr. in Auditorio minori.***

---

WITTEBERGÆ  
Ex Officina Typogr. MICHAELIS Wende ANNO 1641.

a. CXXVII. 39.

Coll. diss. A  
131, 39



THESES.

I.

DE hinc ad Magistratus pergimus, quos nō accipimus cum Theologis pro quāvis potestate Politicā, sed pro cā, quæ summæ subjicitur. Hujus quia maxima analogia & latitudo est in diversis Rebus pub. difficulter potest eorum essentia unā communī definitione comprehendēti. Hinc Aristoteles per partes Magistratum definit, qui scilicet consilii publici, judicii & imperii particeps sit

II. Maximè proprium ait magistratum esse ~~magistratū~~. Quā de causā Ecclesiasticos hinc excludit. In primitivā Ecclesiā vix ullā leguntur Ecclesiastici usi fuisse potestate. Postea plus juris subinde sibi acquisiverunt, & Justinianus permittit Clericis, ut in civilibus nonnullis judicent, sed cum provocatione ad præsidēm. Nunquam tamen perfecta jurisdictio Episcopis fuit concessa, ita, ut ferro, lictoribus, apparitoribus aliisve jurisdictionis signis usi fuissent. Carolus M. unicuique ante latam sententiam fecit copiam appellandi à seculari judice ad Episcopum, quæ erat sanctio Theodosii, à Carolo resuscitata, & repetita ab Innocentio III. Hic tamen tam non probat, cùm distinguat Jurisdictionem Papalem à regiā, & illam collocet in corripiendis peccatoribus. Sed ex consuetudine locorum totam hanc controversiam decidendam putamus.

III. Excludit Aristot. etiam judices, quos in Repub. Romanā quoque se jungit Sigonius à Magistratibus. Sciendum v. prætorem vel ipsum jus dixisse in causis gravioribus, vel judicem, aut indicium dedisse per verbum: Do. Hos judices datos separat Sigonius à Magistratibus, quia nec ordinarii erant, nec propriam habebant

**jurisdictionem, sed judicabant vi ejus, cuius mandato causam suscepissent.**

**I V.** Siverò in genere aliquid dicendum sit de Magistratū, erit potestas ordinaria ex Lege, à majestate concessa, ad gerendas res Reipub. Potestatem enim maximè requiri in Magistratū *Aristot. 4. Pol. c. 15.* docuit, quia est vicarius summæ potestatis, cuius officium representare debet.

**V.** Convenit autem inter omnes, quantum scimus, potestatem latè dici, ut non tantum imperium majus, sed & minores magistratus complectatur. An verò hæc potestas magistratum propria fuerit facta, an penes summam potestatem manserit, legis tantum actione magistratibus concessa, olim disputatum fuit sub arbitrio Heinrici V. equi sponsione factâ. Et Lotharius quidem accepit equum, negans communicari potestatem magistratib⁹: Azo v. consensū J Ctorum judicavit æquū.

**V I.** Neutrius tamen sententia sine distinctione stare potest. Nam quando magistratus ex præscripto superioris, aut ex lege judicat, imperium summæ potestatis est, quæ legem tulit, legis v. actio apud magistratū, quia facti quidem questio in arbitrio est judicantis, poena verò executio non ejus voluntati mandatur, sed legis autoritati reservatur. Undè à sententiâ secundum leges datâ non appellatur, sed à decreto prætoris, citra leges dato, quod illic potestas sit majestatis, hīc prætoris. Quoties enim prætor corrigit & supplet, quoties Magistratus suā autoritate decretum interponit, potestas ad ipsum Magistratum pertinet.

**V II.** Nam Ulpianus cum, cui mandata jurisdictione est, distinguit à Magistratū, quod is nihil proprium habeat. Ex quo relinquunt concludendum, magistratus suam

suam habere potestatem propriam, quam alias mandare non possent. Hinc Proconsuli in provinciâ plenissimam concedit jurisdictionem, in quâ comprehendit etiam majus imperium. Eodem modo magistratus provinciales, quæstores rerum criminalium & arbitros sine legum præscripto propriam exercuisse potestatem statuendum est.

VIII. Præterea cùm Ulpianus magistratus se jungat ab iis, qui dantur extra ordinem, ita coarctanda est potestas magistratus, ut curatoribus non competit. Utrumque igitur in definitione addendum, tum ut à summa potestate, tum ut à Curatoribus distinguatur Magistratus.

IX. Dividuntur Magistratus pro numero negotiorum & amplitudine Reipub. Romani enī reges contenti erant tribuno Celerum, quæstore & absentē rege, præfecto urbis. Nos ab ipsā naturā magistratum divisionem defūmemus, quia eadem est differentia constitutiva & divisiva.

X. Imperium verò & jurisdictione accipitur generaliter, definiturq; potestas de quacunque re cognoscendi & judicandi. Præterea in genere complectitur sub se imperium, tanquam speciem. In specie opponitur jurisdictione imperio mero, quod est habere gladii potestatem ad animadvertendum in homines facinorosos. Jurisdictione verò deficitur potestas de publico introducenda juris dicendi & statuendæ æquitatis. Sed quia jurisdictione effet elusoria, nisi executionem conjunctam haberet, hinc nascitur imperium mixtum, quod causæ cognitionem conjungit cum executione & in dandâ possessione bonorum conspicitur. Cæteræ personæ publicæ, quæ imperio & jurisdictione carent, hisque

subjiciuntur, magistratus non sunt, sed magistratum ministri.

XI. Versatur autem magistratum cura primùm in in providentiâ de salute totius Reipub. cui oportet in primis in Democratiâ & Aristocratiâ viros prudentissimos præfici, quales erant apud Athenienses novem Archontes & apud Romanos consules. His enim Recip. cura demandatur, quod si unicuique daretur hæc potestas, voluntas diversorum vaga relinquetur, & confusio culparum amica, gigneretur.

XII. Sed diligens adhibenda cautio, ne hic magistratus nimiâ armetur potentia, quod non tantum liberi Rebuspub. sedet Monarchiis sæpe perniciosum fuit. Unde Athenienses ostracismo potentiores & autoritate præstantes cives ejicere solebant, quod Aristot. non admodum improbat. Pifistratus enim nimiâ potentia Athenis & Decemviri Romæ obtinuerunt Tyrannidem. Apud Francos Pipinus regno exuit Pharamudi stirpem, quod Major domus cum maximâ potestate creatus esset. Apud Suecos Gustavus eadem viâ ivit in regnum, & Secechus Boleslao III. Polon. regnum cripuisset, nisi ab ipso præventus fuisset.

XIII. Occurritur autem potentiae huic, vel si in plures dividatur, quâ ratione mutuâ intercessione collegarum dissolutum fuit imperium Trib. plebis, vel si committatur tantum ad tempus, quâ de causâ dictatura fuit semestris; vel denique si opponantur propugnatores libertatis, quales erant Cosmi apud Cretenses, Ephori apud Spartanos, nuncii terrestres apud Polonos, Tribuni plebis apud Romanos.

XIV. Alius ordo magistratum versatur circa redditus publicos & ærarium, quos ab inquirendâ pecuniâ

Qua-

**Quæstores dictos testantur.** Errat enim, qui putat R̄c̄pub. commodè sine æratio posse subsistere. Sicut enim sine nervis homo ambulare non potest, ita nec R̄c̄pub. sine æratio progredi potest, cùm pecunia dicantur nervi rerum gerendarum, in primis bellicarum.

**XV.** In cæteris verò rebus opus est præsentariâ pecunia ad sustentandam familiam regis, ad salario magistratum, ad præmia bene meritorum, ad sustentationem pauperum. Quin etiam ædificia publica, tām sacra, quām profana, hinc restaurar. debent. Cætera opera publica partim ad munimenta, partim ad ornamēta pertinent, quorum alteris non potest, alteris non debet R̄c̄pub. carcere. Atque huic Magistrati præfeci oīm dicebantur ædiles.

**XVI.** Reliqui Magistratus exercentur circa justitiam. Sicut autem duplex est justitia; ita legislatorem non tantum criminibus poenas definire, sed & benè merita præmiis mactare oportet. Nihil enim magis devincit magistratus subditis, quām præmia, nec quicquam justius est, quām virtuti premium reddere: nihil denique magis incitat homines ad virtutis studium. Parum enim prodest abstinere à vitiis, à quibus metus poenæ homines abigit, nisi accedat etiam studium virtutis, sine quo tota R̄c̄pub. quasi exangue & emortuum cadaver jacet. Proinde pleraque R̄c̄pub. non recte severas se præbent in poenis, de præmiis nihil solliciti.

**XVII.** Hoc nomine commendatur senatus M. Chami, quod non tantum, quibus poenæ, sed & quibus præmia debeantur, conquirat. Trajanum laudat Plinius, quod bonos cives faciat non poenis malorum, sed præmiis honorum. Qui enim male consultis impunitatem,

tem, recte factis nullum præmium pollicetur, nec illos à crimine, nec hos deterret à laude. Quæ ratio admodum pulcra est, & melior, quam illa Salustii in Jugurthā, ubi dicitur: *in Repub. multò prestat beneficij, quam maleficij immemorem esse.* Bonus segnior fit, ubi negligas: malus improbior. Neutrum quippe fieri convenit, cum Respub. non minus detrimenti sentiat ex neglegētū virtutis, quam impunitate scelerum. Nec aliter incenderunt Romani suos cives ad fortia facta, quam triumphis, coronis & publicis laudationibus.

XVIII. Hanc iustitiæ partem, quia gratiæ plena est, princeps per se exercere debet: alteram satius est prætoribus & judicibus committi, ita tamē, ut jus provocatiōnis sibi retineat, ne neglegētæ iustitiæ accusari possit, & ut metū judicia magistratuū intra iustitiæ terminos contineat. Regum enim officium proprium est, facere judicium & iustitiam.

XIX. Sed propterea non cogitur princeps judiciis omnium rerum interesse, sicut Augustus sæpc in noctem traxit judicia, aut sicut Severus in civilibus negotiis non minus, quam pueris erudiendis diligens fuit. Iustitiam enim facit rex, si probos præficiat judiccs, eorumque judicia regat, eò quod ad se provocari patiatur, aut si exemplo Moysis graviores causas ipsas decidat, minores relinquat judicibus. Nam judicia negligere prorsus, contemptus opinionem parit in animis civium, eaque de causâ à Demetrio exercitus defecit, quod diccas subditorum in flumen contumeliosè projecisset. Oportet autem poenam adjici, ne temerè increbescant provocationes, aut vilesca autoritas magistratus.

XX. Alioquin multæ sunt causæ, quæ prohibit Principem ipsum lites quascunque audire. Quam enim

nimis

nim propter negant, ex usū Principum esse, ut ad colloquia corām coirent; propter eandem multò magis necessarium est, ut à frequenti conversatione subditorum abstineant, non tantū, quod illa contemptum patiant; verū etiam, quod levissima errata in principe habentur pro flagitiis, interdum etiam ad imitationem rapiantur.

XXI. Præterea regis omnia debent comparata esse ad benevolentiam. Unde reges Ægyptii non tantū interficere quenquam, sed & supplicia spectare prohibebantur. Nam Brutus crudelitatem auxit, quod præsens necem filiorum spectaret. Laudem verò clementiæ perderet Princeps, si ipse judicia, quæ severè exerceri debent, obiret. Quapropter Germanicus non ipse seditiones milites condemnare voluit, sed exercitui damnandos tradidit.

XXII. Diximus in judice severitatem, puta convenientem, quæ non consistat in summo rigore, sed æquâ animadversione, requiri. Id quod ita esse, demonstrat Ambrosius ex Deuteronomio. *non miserearis ejus*, quod de judice dictum est, ut explicat Isidor. Pelusiot. lib. 4. epist. 89. Neque enim in judicio Cassiodoro assentiri debemus, scribenti, benigni Principis esse, ad clementiæ commodum, transire interdum æquitatis terminos, quando sola misericordia est, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recusant.

XXIII. Hæc misericordia in judice semper laudem non meretur, vocaturque injusta misericordia, quia non oportet impunita manere maleficia. Id enim pertinet ad quietem Reipub. Nec querelis aliorum, qui læsi sunt, aliter satisfacere possumus. His duabus rationibus ostendit Thomas in iis, quæ legibus definita sunt, non esse misericordiam faciendam.

B

Propte-

**XXIV.** Propterea judex in condonando nimis  
facilem se præbere non debet, ne ad maleficia temere  
quisquam prosiliat. Facilitas enim veniae incentivum  
tribuit delinquenti, multisque aliis peccandi fenestrans  
aperit. Potest quidem leges civitatis temperare præ-  
tor; sed ut scelera puniantur, legis divinæ interest, si-  
cūt *Deuter. 2.* ratio adjicitur, quare justitia sit observan-  
da, quia Dei est judicium. Unde puniuntur divinitus  
non punientes scelera, sicut *Ambrosius 1. de offic.* pro-  
bat, exemplo Saulis, quem contraxisse ait offensam,  
quod miseratus esset Agag, hostium regem, quem pro-  
hibuerat divinâ sententiâ servari.

**XXV.** An igitur secundum leges debet judex sem-  
per judicare? Ubi lex sine dubitatione plena est, non  
tantum inuria fit legi, sed etiam in Majestate pecca-  
tur, quia inferior potestas nequit superioris legem ab-  
rogare, cùm ejusdem fit ferre & abrogare. Ferre au-  
tem leges, pertinere ad Majestatem, diximus superius.  
Judex verò tantum est minister legis, quæ ipsi imponit  
necessitatem. Unde Baldus dixit, judicem debere se-  
qui regulas juris, & non conscientiam suam legibus ad-  
versantem. Non enim clementiorem lege judicem  
oporet esse.

**XXVI.** Imò *Baldus* ait, etiam legem sine ratione  
non posse à minore infringi: & quod majus est, etiam  
arbitrium judicis vult juri & æQUITATI illigare. Bonus ju-  
dex, ait *Ambrosius*, nihil ex arbitrio suo facit, aut pro-  
posito domesticæ voluntatis, sed juxta leges & jura pro-  
nunciat: statutis juris obtemperat, necque indulget pro-  
priæ voluntati.

**XXVII.** *Aristoteles* tamen *5. Etic.* æQUITATEM alicui  
præfert JUSTITIA. Hinc judici licet ex causis poenam le-  
guad

gum minuere & intendere aut mutare. Verum autem  
quitas locum habet, quando jus vel obscurum, vel nul-  
lum est, aut consistit in commoda interpretatione legis  
& accommodatione æquâ ad circumstantias. Manife-  
sto vero legi abrogare, tantum principis est.

XXVIII. Si vero leges oppugnaverint honestatem,  
pietatem vel naturam, fortiori potius potestati, nimirum  
Deo & naturæ obediendum est. Non enim judex  
tantum suæ civitatis civis, sed totius mundi & Dei est, un-  
dè horum legibus non minus tenetur. Quin etiam, quæ  
rerum naturâ prohibentur, nullâ lege confirmata sunt:  
& constitutiones contra bonos mores nullius sicut mo-  
menti; ideoque iis nemo tenetur, in primis cum tales  
leges edantur ultra principum jurisdictiones. Ultra ve-  
ro jurisdictionem non est parendum. Alias etiam ini-  
quiora & inutilia rescripta principum magistratui ser-  
vanda sunt propter rerum judicatarum & principum  
autoritatem.

XXIX. Redimus ad personam judicis, quam oportet  
scientiâ juris, quod redditura est, institutam esse. Si  
turpe est nobili viro jus, in quo versatur, ignorare, quan-  
tò melius possit increpari judex, cuius ædes volebat Ci-  
cero, tanquam Oraculum, adiri debere: in primis cum  
judex ignorantiter procedens litem faciat suam.

XXX. Poteſt quidem ignorantiae suæ ex parte mae-  
deri judex, si Jurisperitum adeat: sed miser est, qui ex  
alieno pectori sapere cogitur. Nec excusatus est judex,  
si male pronunciatam à Jurisperitis sententiam exequia-  
tur, quam ex officio suo corrigere aut mitigare debuif-  
set. Quid vero si casus incidat, quem jura non definie-  
rint. Ibi omnia, quæ non determinantur à jure, relinquuntur  
arbitrio judicis per doctrinam. Hoc vero arbitrium  
sine prudentia interponi non potest.

**XXXI.** Deinde necesse est à crimine, quod damnaturus est, judicem immunem esse. Alioquin turpe est, judicem ab alio judicari. Xenocrates cùm videret furem quendam duci ad patibulum, subrisit, quòd magni fures minores morte damnarent. Hoc enim parit iudici contemtum, quo nihil studiosius fugiendum est iudici.

**XXXII.** Porro in ipso iudicio maximè necesse est à judice justitiæ rationem haberi. Alioquin cùm sit falsarius, punitur ob crimen falsi. Cùm verò affectus justitiæ maximè obsistant, omnes oportet affectus in tribunalis vestibulo exui. Propterea enim solent judges sedere.

**XXXIII.** Apud Ægyptios & Thebanos fingeabantur imagines justitiæ cœcæ & sine manibus, quòd nec munera capere, nec oculos in cuiusdam gratiam deflctere debeant. Munera verò vetant leges accipi à judice, quia excoecant oculos iustorum, & prævaricatio sunt veritatis. Fraudem in Deum perpetrat, quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptance pecunia venedit. Bonis malè utuntur, qui pro temporali lucro iuste iudicant: tales quippe ad veritatem non justitiæ defensio, sed amor pretii vocat, quibus si spes nummi subtrahitur, confessim à justitiæ confessione recedunt.

**XXXIV.** Debet igitur iudex & qualiter utramq; partem audire. Respectus enim personarum non habendus, sed utraque pars audienda. Magnum quoque ad rectum iudicium momentum affert, si sententiam iudex non præcipitet. Nihil enim tām contrarium est iudicio, quam subito sine iudicio decernere: & ad poenitendum properat, qui citò iudicat: Item, in iudicando criminosa est celeritas. Quòd, si hic semel erratum

ratum fuerit, non detur consilii corrigendi potestas.

XXXV. Sed judices denique relinquemus, & ad Censores pergetmus. Ego, inquit *Polybius lib. 6.* arbitror uniuscujusque Reip. fundamenta esse mores & leges. Jam sicut legibus judices, ita moribus præpositos oportet Censores. Omnes bene constitutæ Resp. censuram magnifecerunt. Carthaginensium censuram præfēdum morum nominat Probus: Atheniensium Suidas nominat ζητηταῖς, ad id creari solitos, ut notarent, qui publicè injuriosi fuissent. Apud Romanos primus censor ætate servius Tullius.

XXXVI. Gensorem vocatum putat Varro, quod ad ejus censionem, id est, arbitrium, censeretur populus, & Festus, quod rem suam tanti quisque æstimare solitus fuerit, quantum censor censuerit. Primum verò Iuſtrum, quod Censores condiderunt, fuit undecimum: postea verò quovis quinquennio novum conditum fuit.

XXXVII. Duplex autem est officium Censorum. Primum consistit in numeri, ætatis, ordinis, conditionis, dignitatum, possessionum, civium æstimatione & descriptione, cujus utilitates vix verbis exprimere quisquam potest. Numerum enim civium scire oportet, ut suam potentiam cognoscat Resp. ne gravioribus se bellis impliceat, quam sustinere possit. Nec tantum ad gerendum bellum multitudo civium cognosci debet, sed & in pace, quod annonæ frumentaria ratio haberi possit, item pomæriorum ampliandorum & deducendarum coloniarum.

XXXVIII. De ætate quoque cujusque Reip. constare debet, non tantum ad ordinandos tutores, sed quia

certis magistratibus certa ætas præfinita' est. Ordinis quoque & conditionum seu statuum distinctio quantum prodest Reipub: ad differentiam nobilium & plebeiorū, civium & peregrinorum vel incolarum, ex cuius neglectū experimur magnas familias obliterari & novas prodire. Confert denique census divitiarum ad exæquanda tributa pro cuiusque facultatibus.

XXXIX. Alterum officium, quod peculiariter Lipsius censuram vocat, in emendatione motum consistens, Julius Cæsar, utpote maximè necessarium, solum ferè retinuit. Censoris enim potestas privatim quoque in cuiusque vitam inquirendi meritosque infamandi jus habebat, & quinto quovis anno de moribus judicabat. Hoc Censoris officium, teste Cicerone, damnato nihil afferit præter ruborem.

LX. Cùm autem in nostris Rebus pub. peccata adhuc multa increbescant, quæ legibus certis non puniuntur, ignominiam tamen afferant, omnino ex usu Reipub. est, ut censura reducatur. Vitia verò, quæ Censura maximè ressecare debeat, quis omnia referre possit? Unum atque alterum tetigisse sat sit, ut ab iis progressus ostendatur ad cætera.

LXI. Nullus hodie contemptum religionis punit, quem apud Judæos Deus capite multari voluit. Turpe sit, cùm audiamus, Turcas aliquot plagiis excipere, qui à consuetis precibus absunt, tām impunè sacra à Christianis negligi, quæ nunquam nisi cum publico damno Reipub. neglecta sunt.

LXII. Nec minus in cæteris peccatur, de quibus leges tacent. *Quam angusta*, ait Seneca, *innocentia est, ad legem bonum esse.* Quantò latius patet officiorum, quām juris regula? quām multa pictas, humanitas, liberali-

litas, justitia, fides exigunt, quæ extra tabulas publicas sunt? Digna certè virtus est liberalitas, quæ maximè in Repub. floreat, non tantum quod ad verum usum divitias accommodet, sed plurima excitet ingenia, quæ, administris destituta, alias perirent. Verum postquam censura evictus, nec est, qui hanc civibus impere.

LXIII. Quidnam est gravius vitium, quam perfidia? Dupliciter enim reus fit, quia & nomen DEI invanum assumit & proximum dolo capit? Prolixus essem, si omnia, censuræ corrigenda, vicia congregarem. Fœnerari quid est nisi hominem occidere? Hodie summi quique viri hâc fraude ditescunt, quos nisi censores nemo notat. Prætereo avaritiam, morositatem, scurrilitatem, neglegitum amicitiæ, incontinentiam & quænam sunt hujus genera quam plurima, quam Censoribus emendanda sunt.

LIV. Non minima adhuc pars est censuræ, in civium vitam inquirere, quod fuisse Arcopagi officium Isocrates docet. Solon enim instituit, ut ab Arcopagitis inquireretur, quid quisque Atheniensium ageret, & quo se quæstū sustentaret. Ipse Cæsar, cùm esset magister morum, privatas ædes ambiit, quomodo quisque viveret, percontans. Censorum enim esse, ait Cicero, populi civitates, soboles, familias, pecuniasque censere & cœlibes esse prohibere.

LXV. Primum enim quia rei familiaris fundamentum est conjugium, huic à Censoribus prospiciendum est, ut recte instituatur. Solon juvenem in sinu vetulæ pinguecentem notari voluit, quod ea conjugia Recipub. inutilia putaret. Romani Censores ita rogabant maritos: *Et tu ex animi tui sententiâ uxorem habes*

*babes?* quam interrogationem cùm eluderet cavillator. *Habeo, sed non ex animi tui sententiâ, propterea* in ærarios relatus est. Tanta enim erat Censorum reverentia, ut & condemnârint aliquem, quòd in foro stans oscitasset. Imò & in mores domesticos inquisiverunt. *Cato Manilium à Senatu removit, quòd uxorem impudiciùs osculatus fuisset, scilicet inspe-* *stante filiâ.*

**LXVI.** Proxima cura deflectitur ad institutio-  
nem puerorum, non tantùm, ut unusquisque, quod  
ex se natum est, educare cogatur, sed ut ita educet,  
prout Reipub. conductit. Hic divites parentes à Cen-  
soribus compellendi sunt, qui præ avaritiâ nolunt libe-  
ros ad liberalia studia educare, ut ad sumtuosa studia,  
quibus Respub. carere nequit, liberos potissimum in-  
stituendos darent.

**LXVII.** Tum verò in primis luxuriosum illud  
& delicatum instituendi genus censuram exigit. *Nam,*  
*ut nunc sunt mores,*

*Motus doceri gaudet Jonicos*  
*Matura virgo; & singitur artibus*  
*Jam nunc: & incestos amores*  
*De tenero meditatuit ungui.*  
*Nec verò virgines tantùm, sed in quo Reipubl. se*  
*maximè misertum dicit Scipio Africanus, virgines si-  
mul & pueri ingenui eunt in ludum saltatorium, quasi*  
*membra ad id accepissent, ut incompositos dissolvi-  
zentur in motus, saltarent, cantarent & orbes saltato-  
rios verterent.*

**LXVIII.** Sed hæc intelligi volumus deluxuriosâ  
& histrionicâ saltatione, quæ lauream saltando aucupa-  
tur. *Quid enim, ait Salustius, psallere & saltare elegan-  
tissimis,*

tius, quām necesse est probet adeò & ipse Semproniam reprehendit, non quod saltare, sed quod optimè scierit. Quæ verò honestam voluptatem aut corporis exercitium sibi propositum habet, prorsus contemni non debet, dummodo non sit nimia. Hac de causâ Lacedæmonii choreas celebrârunt, & Socrates ipse saltavit.

**XLIX.** Quid dicam de neglegâ rei familiaris? Quid de luxu? Huic tamen luxuriæ sedulò meta ponenda esset, non tantum, quod luxuria & avaritia sint duæ pestes, omnia magna imperia evertentes, sed quod æmulatio mulierum excedat familiam. Quæ enim se sumtuosius comit, & per publicum notabiliter incedit, oculos juventutis in se illicit, suspiria adolescentum post se trahit, concupiscendi libidinem nutrit, peccandi fomitem succedit, ut, etsi ipsa non pereat, alios tanien perdat.

**L.** Mulierum levitati pigmenta nonnulla concedimus, sed virorum gravitate indigna putamus, quia

*Fine coli medico forma virilis erat.*

Usq; ad mundiciem corpus alere licet, non ultra. Nam & mundum ornatum personæq; conditioni accommodum multæ rationes suadent; sed luxuriosum improbamus, quod luxuriosus inde æstimetur animus.

**LI.** Altera pars luxus in cibo & potu consistit, de quo Seneca conqueritur. Quantò magis idem facturus, si nunc revivisceret, quando eò latius se diffundit luxuria, quò longius à censura abest. Profert Horatius coenam sumtuosam, & Macrobius pontificiale convivium, quod sumtuosissimum putat; sed nihil illa omnia adhæc nostra, quibus etiam Heliogabulum superare nitimur, aut Lucullum, aut Metellum.

C

Nunc

**LII.** Nunc ad eos properamus, qui extra ordinem officia gerunt, quosque Pompon. Curatores vocat. Hi sunt, quibus officia committuntur extra ordinem sine lege aut consuetudine, quod indicat *Livius*, dum de Scipione scribit, quod licet omnes centuriæ ipsi Hispaniam decrevissent, vix tamen ausus fuerit triumphum petere, quod ad cum diem nemo triumphasset, qui sine magistratu rem gessisset.

**LIII.** Quia verò tot possunt Curatorum esse differentiæ, quot Magistratum, imò etiam plures, de singulis agere non possumus. Nonnulli enim arbitriam & plenam accipiunt potestatem, ut Dictatores, Interreges & Proteges quidam, inque privatis causis arbitrii, quos hoc loco præteribimus, & eos tantum considerabimus, quibus dantur mandata summæ potestatis extra ordinem exequendi.

**LIV.** Horum prima lex est: Nihil ultra mandatum agere. Illud porrò in curatoribus peculiare est, ut, mutata voluntate mandantis, ipsorum quoque officium desinat. Hinc etiam morte mandantis solvitur curatio.

**LV.** Maximè verò inter Curatores prominent Legati, qui ad alias Respub. destinantur, vel ad compendium pacem, vel jungenda foedera, contrahendas amicitias & conjugia, vel ad indicendum bellum, vel ad aliam rem quamquam conficiendum. Exigit autem jus gentium, ut securitas legatis præstetur, quippe nihil alias cum hostibus effecturis. Unde jus gentium invaluit contra eos, qui legatos pulsaverint, quia sancti habentur. Sancta enim sunt corpora legatorum, & sanctum nomen eorum apud omnes nationes. Sanctum

Quum autem, si Martiane credimus, dicitur à Sagminibus, id est, herbis, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret, sicut legati Græcorum fecebant κηρύκεια.

LVI. Estque jus illud omnium gentium usu receptum, in primis Romanorum, qui non tantum legatos Tarquinij, etiam proditionis convictos, dimiserunt, sed & juvenes, qui Apollinatum legatos temere pulsassent, dedicerunt Apollinatibus. Nec facile invenias alicubi impunè violatos fuisse legatos. Cicero Corinthum refert à Romanis eversam, quod legatos Romanorum durius Corinthii appellassent, coque argumento contendit, Pompeium mittendum contra Mithridatem, qui & ipse Romanorum legatos violârat. Russi devicti sunt à Tartaris, quod eorum legatos interemissent. Constantinopolitanis unà cum Francis bellum intulerunt Veneti, quod eorum Oratorem, Henricum Dandatum, Emanuel Imperator malè excepisset.

LVII. Oportet autem legatos modestè se gerere in alienis terris, in primis, si petitum quidpiam veniant. Jure enim legatos Persicos interfecit Alexander Macedo, quod filias Amyntæ ad concubitum flagitarent: & Stephanus Walach. 100. Tartaros ad repetendum regis filium missos occidit, quod soli æquationem Walachiæ minitarentur. Est quidem Legatis autoritas suorum Principum defendenda, sed sine arrogantiâ & immodestia. Quis enim Democharis rusticitatem probaret, qui ad Philippum ab Atheniensibus missus, cùm rex quereret, quid posset gratum Atheniensibus facere? si, ait, te suspenderis. Quis Papilii Romani audaciam, qui regem Syriæ Antiochum circulo circumscrispsit, prohi-

prohibens indē pedem offerre, priusquam responderit.

LIX. Idcirco si duriora fuerint legatis mandata injuncta, prudenti temperamento mitiganda sunt. Nihil quidem de essentiā mandati demutare possunt, sed meliori tamen cūm gratiā, quod duriusculum est, corrigeri licet. Hāc in re Dionem laudat *Æmilius Probus*, quod, cūm Dyonisius omnes illustiores per eum expediret legationes, ipse eas diligēter obcundo & fideliter administrando crudelissimum nomen Tyranni suā humanitate texerit. Idque vel sui causā legatis faciendum est, ne cum Augusti legato vapulent, aut gravius quippiam experiantur. Nam Basilius Musc. cuīdam legato pilcum capiti clavō affixit, quod rusticè caput texisset.

---

In gratiam Præstantissimi & Doctissimi Dn. Respondentis sequentia adposuit Præses.

*Militiam peperisse decus majoribus olim*

*Indicium nomen cernimus esse tuis.*

*Tu quoque majorum vestigia tanta secutus*

*Festinas factis accumulare decus.*

*Nom Tibi Mavortis, sed Phæbi castra placebas,*

*In queis vera Tibi gloria parta fuit.*

*Es mibi tu Princeps, sapies quia Principe digna,*

*Atque tuos inter prima corona datur.*

Coll. diss. A. 131, misc. 39